



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. IX. De Castrensibus Mederage.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

sua usque IX. animas adjuncti sunt Fratribus, & venientes in Prussiam baptismi gratiam perceperunt.

## CAP. VII.

*De*

### *Destructione suburbii.*

**P**ER idem tempus Fratres de Raganita cum XXX. viris intraverunt præurbium, & moverunt bellum contra Castrenses de Puthenica, ad quod venerant pridie CC. viri, quod hospites & Fratres nesciebant. Et intrantes mane in ortu diei cum adhuc quiescerent in strato suo, irruerunt improvise in eos, & viros & mulieres, & parvulos, qui effugere non poterant, occiderunt, & præurbium cremaverunt.

## CAP. VIII.

*De*

### *Combustione præurbii castri Oukaym.*

**N**ON longè autem post iidem Fratres de Raganita cum suis subditis præurbium castri Oukaym dormientibus castrensibus intraverunt & totaliter cremaverunt, & præterquam paucos, qui effugerant, omnes alii cum uxoribus, liberis, pecoribus & pecudibus aut igne aut gladio sunt consumpti.

## CAP. IX.

*De*

### *Castrensibus Mederage.*

**A**nno Domini MCCCXXIX. Joannes de Luccelburg Rex Bohemiae cum Nobilibus Regni sui & Duce Silesiae, de Valkenberg,

berg, & Comitibus de Lunge, de Atinge, de Nivenar, de Wallrode, Hanavo, de Wirtenberg, de Stovvenborg, & de Valkenstein, & Domini de Kerpin, de Gera, de Berga, de Rotenstein, de Damis, de Kotebus, de Misna & Burgravio de Dhona, & cum multis Nobilibus Regni Almanniæ & Angliæ, intravit in terram Prussia. Cum his omnibus Frater Wernerus & Fratres CC. & 18. M. pugnatorum præter pedites ivit versus Lethoviam, & in vigilia Purificationis B. Mariæ obsedit Castrum Mederage, & post multas impugnationes subdiderunt se fidei Christianæ & 6. M. hominum dicti castri sunt in nomine Domini baptizati, sed non longe post apostataverunt.

## CAP. X.

De

*Destructione terræ Culmensis.*

**M**edio tempore, quo hæc agerentur, & eodem die (a) Lotheco Rex Poloniæ malitiam, quamdiu concepit, adimplevit, & cum 6. Millibus pugnatorum dolosè non obstantibus treugis, quas cum Rege Bohemiæ & Magistro fecerat, intravit terram Colmensem & V. diebus & V. noctibus vastavit incendio & rapinâ. Ecce stupendum & execrabile nefas. Iste Rex antea fuit Dux, & noviter à Sede Apostolica in Regem constitutus, ut esset S. Ecclesiæ, fidei & fidelium eò diligentior & fidelior & magis strenuus propugnator. Nunc autem non solum non defendit cœtum fidelium, sed eos, qui defendunt, crudeliter impugnat. Et quod deterius est, cum Rex Bohemiæ, & Magister & exercitus eorum essent in actu impugnandi infideles & vindicandi injuriam Domini Christi crucifixi, ipse malitiam, quam supra diximus, perpetravit.

ANI-